



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Scholares Lutheranismo addicti, discedunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quoque, homo valetudinarius, è vita discessit, An. 1583. 4. Id. Octob. relicto filio novem aut decem circiter annorum, & ejusdem cum pueri avo nominis, Friderico, & alio Joan. Casimiro.

V. Quo tempore Ludovicus è vivis excessit, Joannes Casimirus in Colonienfi diœcesi pro Gebhardi Truchfessii Electoris & Archiepiscopi Colonienfis (qui deserto voto, Canonissam è Mansfeldensium Comitum familia violarat, cognatis urgentibus uxorem duxerat, ac religionem mutarat) amoribus bellum gerebat: cujus quum tædere ipsum inciperet, cæteris Protestantibus auxilia protantæ rei magnitudine parce admodum conferentibus, de morte fratris certior factus, magna celeritate, relicto exercitu domum contendit, & quorundam ipsius rebus faventium opera castellum Heidelbergense, ubi domicilium fere Electores habere solent, suam in potestatem redegit, atque inde pro Principe se gessit. Tam improvise adventu & mandato in legitimi Principis præjudicium promulgato, nec non presentis periculi (neque enim procul copiam aberant) metu consternatis subditi, Joanni Casimiro fidelitatis juramentum, tamquam nepotis ex fratre tutori & Administratori Electoralis Palatinatus, in novem annos præstiterunt, eundem humilime precati atque obtestati, ne in religione à Ludovico introducta & stabilita, quidquam mutari pateretur: quod & ille promissit, sed & rerum poritus, contra fidem & promissa non multo post pleraque innovavit, miseris Lutheranis ne fortunam quidem suam omnium ventorum injuriis expositam deplorare audentibus, Calvinistis e contra quamvis paucis, Principis tamen auctoritate subnixis, cristas rursus erigentibus, & à quibus antea acceperant, leges præscribentibus. Quo vero Calvinisticam sectam, à qua non parum in iis quæ hæcenus tentarat, adjutus fuerat, firmioribus radicibus stabiliret, non religionem tantum, sed Consilia etiam & magistratus à fratre suo prius ordinatos, per omnem ditionem mutavit, aliis in eorum qui suspecti erant locum subrogatis: Lutheranis vero Prædicantibus jussit ut & à concionibus ad populum habendis, & assibus seu synodis inter se celebrandis abstinerent.

VI. Est vero in civitate Heidelbergensi Collegium quoddam (vulgo *Sapientiam* vocant) in quo vigintrifex juvenes Principis sumtibus ad Theologiae studium educari solent, antiquitus à Catholicis fundatum, ut inde tamquam è seminario ho-

mines ad Ecclesias regendas depromantur. His quum Joannis Casimiri nomine propositum fuisset, mallent ne novam illam & Calvinisticam, quam invehebat, religionem amplecti, an cum Lutheranæ exsulatum abire, & fortunam alibi quærere, unum tantum inventus fuit qui conditionem à Principe oblatam acciperet, ceteri vero omnes unà cum præfecto suo Marbachio, Theologi illius Argentinensis filio, alio profecti sunt. Basilea deinde venit Joannes Jacobus Grynæus, magni inter suos nominis Theologus, à Joanne Casimiro evocatus, qui unà cum Tossano diligenter omnia quæ ad Genevensem stabilendam religionem pertinebant, procuravit. Marpurgum quoque ab eodem Principe accersitus Sonnius quidam, in Marbachii locum Sapientia Collegio præfectus fuit: inter quem & Tossanum acres deinde de Prædestinatione dissensiones exstiterunt, & ad Auditores quoque seu scholares proferperunt. Pupillo Principi idem Joannes Casimirus præfectos ac rectores dedit puros Calvinistas, nec quemquam qui aliter sentiret, ullam publicis aut privatis Principis negociis manum admoliri passus est. O delictos, atque ipso etiam communi sensu destitutos homines! Non videtis quanto melius sit legibus summi Ecclesiæ præfulis, cõtina successione perpetuam in religione uniformitatem & consensum tuentis, sese subdere, quàm stultis excerebrati alicujus Principis persuasionibus & à religione alienis affectibus, non optima, sed prima sequentis, ac sæpe è duobus malis deterius eligentis, obtemperare. Verum enim vero non Casimirus tantum, sed etiam pupillus rerum administrationi adnotus, religionem in qua educatus fuerat, quoad vixit, in ditione sua retinuit, atque etiam omnibus qui ob eam aliunde ejecti fuerant, receptaculum præbuit, quæ res non parva attulit Palatinatu compendia, ut qui velut portus sic ad quem omnes qui fidei fecere naufragium, appellant. Et quo patet, quomodo quarta religio in Imperium nullo suffragio sed sola velut usucapione irrepserit, & adhuc in eo tolleretur. Primo Catholica, quæ maximam partem amplectitur: secundo Lutheranæ, quæ duplex est, eorum qui formulam Interimisticam, & qui Augustanam puram Confessionem sequuntur: ac tandem Calvinistica: quamvis hæc Palatinatu ferè & aliis quibusdam exiguis ditunculis circumscribatur, quamque ceterarum religionum homines capitali odio persequuntur, ut commodius alibi dicam. Quantum ad Anabaptistas, Trithemistas, Antiqui-

Antitrinitarios & id genus sectarios attinet, iis neque in civitatibus Imperialibus, neque in Germanorum Principum ditionibus ullus locus conceditur, sed vel in angulo aliquo Poloniae, Moraviae, Silesiae, aut Belgii latent, in quibus scilicet omnis generis sectae tolerantur, ut praecedenti libro ostendimus. Francofurtum tamen Calvinistis hospitium praebuit, quod eo ob celebrem mercatum, variae nationes confluere soleant, eoque etiam variae ibi sectae reperiuntur: imperium tamen penes Catholicos est & Lutheranos, quibus solis etiam in publicis sacra peragere licet, ceteri vero in privatis domibus & horreis religionis suae exercitium frequentant.

DE DIVERSIS AC QUAMPLURIMIS
haereticorum Synodis ac conventibus, ac
frustraneo eorundem exitu.

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

- I. Lutherani multorum librorum scriptores.
- II. Conventus & Colloquia religionis ergo, ubi & quando celebrata.
- III. Bucerus Zuinglianismum nuncium remittit.
- IV. Conventus Ratisbonensis.
- V. Colloquium Maudbrunnense, in quo Ubiquitas à Brentio defensa.
- VI. Colloquium Mompelgardense.

EX omnibus haereticis, qui à primis usque cunabulis, à Simone Mago primum inquisitis, Ecclesiam à qua desciverant, multiplici arte ac vi oppugnant, nullos unquam acris scribendi cancothes & insanabilis pruritus tenuit quam Lutheranos. Testatur hoc multitudo scriptorum non contra Catholicos tantum, sed Sacramentarios quoque, sobolem suam, editorum uti liquet ex Catalogis annuis ac semestribus Nundinarum Francofurtensium, in quibus libri in Classes Catholicæ, Lutheranæ & Calvinianorum discerni solent. Sed neque haereticis ulla plures synodos, Colloquia & Conventus habuit quam Lutheranæ; Catholicis interim miserorum hominum fortunam vera pietate commiserantibus, ut qui semel à regia via Ecclesiae digressi, aut velut caeci in tenebris palparent, aut vagabundi atque errantes, in se mutuo in-

curarent, nec pacem inter se facere possent Dictatore omni destituti, vel tanquam milites sine Duce oves sine pastore sensibiles. Omnium vero istorum Conventuum exitus docuit, ut hominum ejusmodi congressibus controversiae finiantur, tantum abesse, ut etiam magis inde augeantur, suam opinionem singulis mordicus tuentibus, & gloriam magis quam veritatem quaerentibus. Et quidem operæ pretium non esset, ejusmodi malos infelicesque conventus recensere, quia tamen eorundem Acta peritura sunt, & ut aliorum insipienti sapientior fiat posteritas, praecipuos haereticorum conventus exponere non gravabor.

II. Initium horum conventuum infelicitum factum est An. 1517. Wittebergæ, Joanne Terzelio Ord. Prædic. celebri viro, 106. Theses opponente Theobaldo Lutheri, [a] quas oportuerat Romam ad censuram transmissas fuisse, ne, uti evenit, animi religiosorum inter se exacerbati, collisione grandis fulgura excitarent adeo magno animarum detrimento. Primus igitur ex principio infelici conventus celebratus est Augustæ in ipsius sub Maximiliano I. comitiis, ad quem citatus Lutherus, ut cum Cardinali Cajetano controversia ab ipso mota componeretur, quo tempore ita Lutherus sese gessit ut ipse Maximilianus in ejus humeris insidentem Caco-dæmonem conspexerit [b] & ille Cardinalis postulata generalibus verbis errorem consentibus usus, inspicie ullum de se agnoscere recusavit [c]. Secundus conventus fuit Lipsiensis Disputatio, inter Joannem Eckium & Lutherum, in qua etiam Lutherus ita pressus sit, ut confessus sit palam, Motum à se concitatum, nec propter Deum esse capsum nec propter Deum finiendum esse, nihil tamen emendationis, sed multum mendaciorum pro Luthero scribentium subsecutum fuit. [d] Tertius Wormatiæ An. 1521. Aprilis, ubi Lutherus ipse violam salvi sui conductus reus, nisi Sturmus caduceator Caesaris proditor fuisset capi pertinax potuit, ita tamen pressus est, ut factus fuerit cordis sui arcanus, nempe se nec Conciliorum sententia stare, sed solis sacris Scripturis, nempe ex suo cerebro explicatis, quam hænam hodieque omnes ejus sequaces cantillant [e] uti ipse orsus est. Quartus Norimbergæ An. 1522. captus & seq. terminatus, ubi inter Im-

[a] Anatom. Eccl. Cathol. Tract. 2. [b] Vlenberg. Vit. Luth. cap. 3. & Anatomia cit. [c] Ibid. iid. [d] Anatomia ibid. Vlenberg. Vit. Lutheri cap. 4. [e] Anatom. ibid. & Vlenberg. Vit. Lutheri cap. 6. 7.